



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XLII. Expenduntur Canones quintus, & vigesimusquintus Concilij
Arausicam, & an initium bonæ operationis sit, non sit, à libero arbitrio,
declaratur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

quod Deus non vocet quos vult, ita vt efficaciter eos faciat consentire: quia inter vocationes datur aliqua efficax, quam Augustinus ibi altam, & secretam vocat, alibi congruam, & secundum propositum, & sicut absolute gratis vocat, ita etiam gratis sic, vel sic vocat. Et nihilominus etiam quando congrue vocat ad perfectionem operis, expectat in executione cooperationem liberam voluntatis, quamuis non certo præsciat infallibiliter esse futuram: hoc enim non est contra expectandi proprietatem. Et per hanc vocationem simul operatur Deus vt velimus, & expectat, vt ad volendum cooperemur; hæc enim duo non sunt repugnantia, sicut non repugnant Deum operari in nobis velle, & expectare vt fiat etiam à nobis. Et ita patet etiam responsum ad aliam verborum ponderationem, nam verbum operandi, & physicam efficientiam significare potest, quatenus Deus verè & physicè efficit in voluntate inspirationem, per quam illam vocat, & potest causalitatem etiam moralem significare, quatenus per illam excitationem allicit voluntatem ad consensum, vt in superioribus explicatum est.

Ad ultimam rationem, quod causa non expectat suum effectum respondeo, Deum propriè non expectare suum effectum, vt illummet effectum producat, sed expectare concussam liberam, vt secum efficiat. Deus enim per suam præuenientem gratiā non est adæquata, vel vnica causa efficiens consensum humane voluntatis, sed determinationis eius, sed est primaria causa, quæ operari non vult ipsum consensum sine alia causa libera, & ideo expectat cooperationem, vel, (vt ita dicam) co-determinationem eius. Quod si inietur, quia licet Deus vt faciens consensum, non sit sola causa illius, nihilominus vt facit voluntatem velle per gratiam præoperantem est causa vnica. Respondeo vt sic non esse causam actualiter efficientem consensum, sed solam vocationem ad consensum, & ad illam efficiendam, non expectare voluntatem hominis, illa verò vocatione iam facta, per illam non facit actualiter voluntatem velle & ideo illam expectat, vt secum faciat determinationem, seu ipsum velle. Vnde Aug. in dicto c. de grat. & lib. arb. postquam dixit, *Vt quid eos rogat, si gratiam sic susceperunt, vt propriam perderent voluntatem?*

Subiungit. *Tamen ne ipsa voluntas sine gratia putetur aliquid posse continere, cum dixisset, Gratia eius in me vacua non fuit, sed plus illis omnibus laborauit, subiungit, & ait, Non ergo sed gratia Dei mecum, id est, non solus, sed gratia Dei mecum, ac per hoc ne gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo. Vt autè de celo vocaretur, & tam magna, & efficacissima vocatione conuerteretur gratia Dei erat sola. Ad vocationem ergo nihil est quod expectetur, ad effectum autem vocationis liberam voluntatis cooperationem expectari, necesse est. Vnde si determinatio ipsa libera voluntatis consideretur vt est effectus Dei, sub ea ratione non expectatur à Deo, sed sit, prout est verò à libero arbitrio, sic expectat Deus, vt voluntas humana secum in illam influat. Deniq; addo quando vna causa habet plures effectus inter se subordinatos, rectè esse posse expectare vnum, vt faciat alium, & sic Deus expectat organizationem corporis humani, vt creet animā, quamuis organizationem etiam ipse faciat. Et ita etiam vt gratiam sanctificantem infundat, expectat hominis conuersionem, quamuis hanc etiam ipse faciat. Nunquā tamen dicitur expectare illum effectum, vt ab ipso est, sed vt futurus est ab alia concussa, & propriè tunc habet locū, quando efficientia alterius causæ non est omnino ad vnum determinata, vt facis declaratum est.*

Vltimò in hoc puncto adnotare libet quendam modernum Scriptorem mihi hac occasione imposuisse, quod in Metaphys. disp. 22. sectione 4. dixerim, *Propter videntiam Dei expectare determinationem voluntatis humane, & in hoc dictum inuenitur, quia sic suberahere-*

tur prouidentia libera nostræ voluntatis determinationi, quia supponeretur prouidentia, & quod alii cui causæ supponitur, ab illa non fit. Sed illa propositio in terminis non inuenitur in dicto loco Metaphysicæ, nec in aliis scriptis meis. Neq; sequitur ex hoc, quod Deus expectet voluntatem nostrā ad ipsam determinationem eū illa faciendā. Neq; ex eo quod expectet voluntatis consensum ad aliam subsequentem gratiam conferendā, sequitur expectare illum ad totum ordinem prouidentia sue, prout per illam propositionem significatur. Quocirca cuiuscunque sit illa propositio, vt nimirum est ambigua, & non simpliciter proferenda, quia prouidentia est eterna, & comprehendit vtrunq; ordinem intentionis & executionis, & sub vtroq; cadunt libere determinationes humane. Et vt Deus per suam prouidentiam antecederet de illis disponat, nō expectat illas nec cooperationem voluntatis, quia dispositio prouidentia antecedit executionem, & determinationem. Et hoc modo simpliciter loquendo libera determinationi, & cooperatio voluntatis, est sub prouidentia vel prohibente, vel permitte & offerente generale concursum, vt in operibus malis, vel ordināte, consulente, præcipiente, vel etiam præfiniente in operibus gratia. Et ita quoad hæc omnia prouidentia non expectat cooperationem liberam voluntatis. At verò quoad ea, quæ pertinent ad ordinem executionis, prouidentia, vel potius gubernatio diuina expectat voluntatem humanam, vel vt cooperetur ad faciendum consensum, vel vt illi tribuat prænam, vel præmium iuxta eius cooperationem. Et sic in presenti materia non dicitur verè prædeterminatio diuina, expectare determinationem humanam, & consequenter neq; vocatio quæ est primus prædestinationis, vel supernaturalis prouidentia effectus: iustificatio autem diuina rectè dicitur expectare illam, & eadem ratione cooperatio auxilij diuini dicitur expectare cooperationem arbitrij: quia isti sunt particulares effectus prouidentia gratia, qui secundum ordinem executionis à cooperatione voluntatis pendent, quam Deus perinde expectat.

CAPVT XLII.

Expenduntur canones quintus, & vigesimus quintus Concilij Arausicani, & an initium bonæ operationis sit, vel non sit, à libero arbitrio, declaratur.

Alter Canon illius Concilij, qui in hac causa inducitur, est Canon quintus, vbi damnatur, qui Canon. 5. & dixerit initium fidei esse ex nobis, & non esse ex 25. Concilij Deo, quod generalius dicitur in Canone 25. *Hoc sa- Arausicani. lubriter profiteamur, & credimus quod in omni opere bono nos non incipimus. Nam hoc (aiunt) intelligendum est de initio proximo, non de remoto tantum seu de initio efficacia gratia, non tantum de sufficiente, quia solus non inchoatur, nisi per gratiam efficacem, nec bonum opus incipit propriè, nisi cum voluntas incipit ad consensum determinari. Vt ergo vera sit vniuersalis illa definitio Concilij, necesse est vt voluntas nostra in suo bono consensu à Deo prædeterminetur, vt sic Deus incipiat in nobis bonam voluntatem. Alioqui si voluntas est, quæ se determinat, illa inchoat bonū opus, & nō Deus, & sic falsū est quod in omni opere bono nos non incipimus.* Propter hoc argumentum solent alij Auctores nobis tribuere, quod asseramus initium bonæ operationis, ita esse nostrum, vt non sit Dei mouentis: eo que progrediuntur, vt nos affirmare dicant initium consensus liberi esse ex nobis solis, & clauso Deo,

Danila.
Ledesma

Deo, vt F. Dauila expresse dicit locis citatis, & Ledefina sentit, dicens, ex nostra sententia sequi, quod diuina voluntas non faciat realiter in nobis quod vult, sed duntaxat moraliter, vt per nostrum liberum arbitrium nos applicemus ad actionem, & sumus soli causa physica applicandi illud donum ad vsum. Vnde inferunt etiam vterius, sequi ex nostra sententia gratiam esse pedissequam nostrae voluntatis, & ita contra nos inducunt canonem sextum eiusdem Araucicani, quarens damnat eos, qui humilitati, aut obedientiae humanae subiungunt gratiam adiutorium. Probatur sequela, quia si Deus non praedeterminat voluntatem nostram, ipsa praecedit saltem ordine naturae inchoando suam determinationem, & obedientiam, & applicando se ad opus, (vt Ledefina inibi tribuit,) prioritate quadam casualitatis physicae, & realiter, vsitatum Deus influat ex vi suae voluntatis antecedentis. Est ergo gratia pedissequa voluntatis, non e contrario. Nec hoc inconueniens vitatur per hoc quod gratia antecedens praecedat, quia licet praecedat in essendo, (vt Dauila obiicit,) in operando est posterior iuxta nostram opinionem.

3.
Caluin. Priori principali argumento vltus est Caluinus in suo Antidoto contra Concilium, quod docet, gratiam infundi vnicuique secundum propriam dispositionem, & cooperationem, contra quod obicit, *Quia hoc gratis initium est, vt ex nolentibus faciat volentes, vt fides tam in suis exordijs, quam incrementis vsque ad vltimam perfectionem Desit donum.* Qui respondet Ruuardus dicto art. 6. circa finem aiens: Nec gratis initium est, quod ex nolentibus, ac repugnantibus faciat volentes, sed est magnus in ea progressus; procedunt enim sancta cogitationes, &c. qua responsio continet sensum verum Arausiaci Concilij, cuius canones sumpti sunt ex doctrina Augustini, qui ad redarguendos Semipelagianos initium iustitiæ, & boni operis reducit ad sanctam cogitationem, vt patet lib. de prædestinat. Sanctor. cap. 2. & sequentibus, & lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 8. seu quod idem est, ad vocationem. Vnde

August. in quaest. 2. ad Simplician. inter alia dicit: *Quia non praecedit voluntas bonam vocatorem sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo tribuitur, quod bene volumus.* similia habet libr. 83. quaestionum quaest. 68. Et similiter Caeslinus Papa epistola 1. cap. 3. hoc initium vocat *insinclum Dei*, cum Zosimus Papa, & Concilio quodam Africano: at verò non est aliud infinitus, quam vocatio, vel inspiratio, aut excitatio gratia, ratione cuius bonorum operum initium Dei tribuitur. *Ideo* utique, ut ibidem dicitur, *quia preparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agat paternis inspirationibus suorum tangit corda fidelium.* Et eodem modo loquuntur de initio salutis passim contra Semipelagianos Prosper, Fulgentius, & Petr. Diaconus in operibus contra illos, quibus consonat Bernardus lib. de Grat. & liberi arbitrii. in principio dicens, *Gratia operanti salutem, cooperanti dicitur liberum arbitrium, dum consentit, hoc est, dum saluatur: consentire enim saluari est.* Non est ergo initium salutis, sed magnus progressus, ut dicit Ruardus. quod pluribus verbis circa finem libri Bernardus prosequitur quæ paulo post commemorabo.

cap. 7. repetit, abque illuminatione, & inspiratione spir-
itus sancti. At tandem in cap. 25. postquam dicit,
in omni bono opere non non incipere, addit, sed per
nullis praecedentibus bonis meritis, & fidem & amorem
ipsius inspirat? Et iuxta hanc intelligentiam loqu-
tum est de exordio iustificationis Concilium Tri-
dentinum dicta sess. cap. 5. & de initio fidei, spei,
& charitatis, in can. 3.

Cum ergo nos ante omnem consensum bonum, & ante liberam determinationem ad illum supponamus præcedere initium gratiæ per sanctam cogitationem, & piam excitationem voluntatis, quæ voluntatē inclinet, & inducat in cōsensum, superflue contra nostram sententiam hæc definitiones asseruntur. Et ab omni recto sensu alienum est, per hoc initium prædeterminationem velle intelligere. Tum quia nec Concilium Araulicum, nec alij Patres tale auxilium explicarunt, tum etiam, quia ante illam præcedit vocatio: tum denique, quia illud initium omnibus operibus naturalibus commune est, imo etiam malis, vt actiones postivæ sunt, (iuxta illam sententiam), atque in illud est initium operis boni, de quo tractat Concilium: eadem definitio habebit locum in operibus, quæ ad gratiam non pertinent, quod absurdissimum est. Præterea hoc declarat, quia Concilium loquitur de initio fidei, vel boni operis, quod Deus in nobis sine nobis operatur hoc autem: non est nisi initium, quod in vocatione, seu excitatione, quod in vocatione, seu excitatione positum est, pertinet enim ad illa bona, quæ sunt in homine, & ea non facit homo, vt supra diximus. At vero aliud initium quod in ipso consensu, vel determinatione libera consideratur, non fit à solo Deo, vt iam diximus, & iterum statim dicemus. Vnde et illud Bernardini dicto libro in fine. Deus tria hæc (hæc) bonum cogitare, velle, & persolvere, operatur in nobis, primum profectò sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos. Et infra. A Deo sine dubio fit iugiter factum eorum, nec per nos ritque, nec nobiscum; verum consensus & opus est non ex nobis, non iam tam sine nobis.

Vnde addo secundo distinctionem in praefati
plici initio proximo, vel remoto in praefati
peruacaneam esse, & frustra inuentam esse ad sen-
sum Concilij detorquendum. Quia Concilium non pro-
non tractat de initio actus boni, quod fit aliquando in
intrinsecum ipsi actui, & quasi pars eius, sed de in-
itio, quod hominem mouere incipit ad ralem a-
ctum, quod, per se loquendo, seu ex necessitate
non est, nisi vnum, quod est primum gratia au-
xilium, & vocatur principium causaliter, & effe-
ctiue, non materialiter. Addo etiam in ipso me-
actu consensum non distingui initium intrinsecum
& proximum ab actu, nisi forte ipsa actio per
quam fit qualitas illa, quae est actus, vocetur in-
itium eius, quod per se considerari potest, mora-
liter autem nihil refert, quia in ipsa actione consi-
sit moralis, ac libera determinatio, cuius initium
est diuina vocatio, & inspiratio: ipsa autem effe-
ctio consensus, tam est ipsa libera pietatis operatio,
ergo non datur ibi initium ab actione libera, &
a vocatione distinctum, quod sit medium inter v-
tranque. Solum ergo ratione vocationis, & exi-
tationis praeuix dictum est a Concilio, quod in
bono opere nos non incipimus.

De altera vero distinctiōe ad eundem modum
uentā de duplici initio salutis vel conseruationis absolute
vel de initio efficiat, quorum primum ponitur in
vocatione, secundum in prædeterminatione, dicitur
in primis, illam distinctiōem in Patribus non re-
periri, solum eos loqui de initio salutis, vel bone re-
lumiati per vocationem, & inspirationem diuinam,
& consequenter de illo intelligi prædica decreta.
De alio vero initio, quod efficiat vocatur, dico, si a-

est, non esse prædeterminationem, sed vel aliquam vocationem, vel actionem ipsam liberam, quæ à voluntate vocata cum Dei auxilio fit. Nam cum dicitur *initium efficacie*, dupliciter potest sumi, vno modo pro initio actiui efficiaciter, ita ut sepe habeat effectum, in quo sensu illud additum *efficacia* sumitur in vi adiectiui, ut idem sit, quod initium efficax. Et tale initium non distinguitur à vocatione congrua, & efficaci, & de tali initio efficaci etiam loquitur Concilium Arausicum, quia illud etiam datur à solo Deo, & merè gratis, & prius saltem natura, quam homo liberè determinetur. Ex hoc verò sensu nullum argumentum sumitur ex dicta definitione Concilij contra nos, imò nos inde argumentum sumimus, quod hoc initium efficax sufficiat, ut in omni bono opere nos non incipiamus, quia semper præcedit efficax vocatio Dei. Alio igitur modo initium efficacie dicitur, initium formale, (ut sic dicam,) ipsius consensus, quod non est aliud, nisi actio eius, quæ, ut dixi, potest dici initium intrinsecum ipsius actus, sicut potest actio dici initium sui termini, & ad hoc significandum dici potest efficacia, id est, actualis effectiōis ipsius consensus. Et hæc acceptio initij est, (ut dixi,) extra mentem Arausici Concilij, & ideo quidquid de illa sit, nihil ad præsentem difficultatem refert.

Dico igitur tertio, loquendo in hoc sensu de initio proximo, seu efficacia consensus voluntatis, tale initium ab ipsa voluntate fieri, non tamen sola, sed simul cooperante, & adiuuante Deo physice efficienter, ac propriissime, & ideo propter tale initium non esse necessariam, nec possibilem prædeterminationem, salua nostra libertate. Hoc satis probatum est in superioribus, supposita explicatione terminorum, & ideo non oportet probationes repetere, præsertim cum hæc sit expressa sententia Bernardi in verbis citatis, & Augustini etiam in locis allegatis, præsertim dicta quæstione secundad ad Simplicianum, & quæstione sextagesima octaua & 83. & lib. 1. Rerum. capite vigesimo tertio ibi recognoscit, quod dixerat in lib. quarundam proposit. in epistola ad Roman. *Nostrium est credere, & velle verum est, (inquit,) seu eadem regula, scilicet, quod vtrumque, (utique credere, & bene operari, aut velle,) Dei est, quia ipse præparat voluntatem, & vtrumque nostrum, quia non fit, nisi volentibus nobis.* Et adiungit, ac per hoc, quod etiam postea dixi, quia neque velle possumus, nisi vocemur, & cum post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra, & cursus nostri, nisi Deus & virtus currentibus præbeat, & perducatur quo vocat, &c. Verissimum est, sed parum de ipsa vocatione deseruit, quæ sit secundum propositum. Vbi aperte docet quidquid post vocationem fit in nobis, non fieri sine nobis, quamuis etiam non fiat sine viribus gratiæ, neque dixit necessarium esse aliud principium efficacie, quod sine nobis fiat præter congruam vocationem. Quapropter longè alienum est à nostro sensu dicere, initium efficacie ita esse nostrum, ut non sit Dei, quia potius asserimus ita esse Dei, ut non etiam nostrum. Nec etiam asserimus esse à Deo tantum moraliter, sed etiam physice, sed dicimus etiam physice non tantum esse à Deo, sed etiam à nobis, neque etiam in hoc genere causalitatis per se, & physice est prius natura à Deo, quam à nobis, licet neque prius sit à nobis, quam sit etiam à Deo per propriam, & simultaneam efficientiam. Quæ omnia latissime sunt à nobis in superioribus probata, & sapissime declarata. Ac denique non minus doctrinæ nostræ, repugnat dicere, ita voluntatem nostram se ad agendum, seu volendum applicare, ut nos soli sumus causa physica applicandi præuenientem gratiam ad vsum: nam licet nos sumus causa, non tamen sine Deo, & ideo non soli, parum enim refert mutare no-

men consensus, aut determinationis in nomen applicationis, nam res eadem est, & quidquid est, si à nobis sit, etiam à Deo fit, & si est aliquid supernaturale, non fit sine cooperatione, & influxu alicuius principij gratiæ, & supernaturalis. Quod dicitur applicari à nobis, non quia nos soli aliquid in illud efficiamus, sed quia veluti vltima concausa, quæ ad illum vsum gratiæ expectatur, est nostrum arbitrium, ut supra declarauimus.

Vnde vltimò colligo frustra nobis obijci, quod gratiam faciamus pedissequam arbitrij, vel quod illam humanæ obedientiæ subiiciamus. Quia in primis obedientia, quæ per hanc determinationem liberam datur Deo vocanti, non fit sine adiutorio gratiæ, ut dixi, ergo illa non potest dari obedientia humana in sensu, in quo loquebantur Semipelagiani, quos damnat Concilium specialiter illa voce vtens, can. 3. & 6. sed dicenda est obedientia supernaturalis, & quodammodo diuina, sicut inuocatio humana dicitur, quæ sine spiritu fidei fit, quæ autem à diuina inspiratione procedit, iam non est humana. Deinde ista obedientia supponit gratiæ præuenientem, & est effectus eius, ergo determinatio ex parte voluntatis est pedissequa illius gratiæ, & non è conuerso. Nam per illam gratiam inducitur voluntas, dirigitur, & gubernatur, & voluntas illi subiicitur. Vnde hæc gratia non tantum præcedit in essendo, ut obijciebatur, sed etiam in causando, vel formaliter physice efficiendo intellectum, & voluntatem effectiue moraliter suadendo, & excitando, ac finaliter alliciendo. Et quatenus est principium adiuuans, actualiter etiam præcedit ordinem naturæ. Ipse verò influxus gratiæ adiuuans est omnino simul, & ideo nec respectu illius potest gratia adiuuans dici pedissequa, sed solum comitans, quod verissimum est. Igitur ex eo quod prædeterminatio physica non præcedat, non sequitur præcedere nostram determinationem ad influxum gratiæ concomitantis, & ideo nullo modo sequitur, gratiam esse pedissequam liberi arbitrij, ut sepe responsum ac declaratum est.

Concludo igitur, nullum argumentum in fauorem physice prædeterminationis ex illo Concilio sumi posse. Ex quo in primis pro nobis resultat argumentum ab auctoritate negatiua, quod ut sape dixi, in hac materia est vrgens, quia hæc Concilia accuratè doctrinam de Gratia tradiderunt, præsertim, quæ necessaria erat contra errores, quos resellebant. Secundo sumimus argumentum etiam posituum valde probabile, ex verbis quibus illud Concilium nobis declarat præuenientia auxilij, eorumque causalitatem, & efficientiam, semper enim videtur nominibus significantibus vitales actiones intellectus, & voluntatis, & modum moraliter excitandi, & mouendi. Talia sunt illa verba Canonis 5. *per inspirationem Spiritus sancti corrigentis voluntatem*, per quæ explicat similes locutiones Scripturæ ad Philipp. 1. & ad Ephes. 2. Item illa Canon. 6. *ut hæc omnia agere valeamus, per infusionem, & inspirationem Spiritus sancti in nobis fit.* In illa Can. 7. *Non absque illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suauitatem in consentiendo, & credendo veritati.* Nullis enim verbis poterat moralis inductio melius declarari. Nec refert quod vtatur etiam verbis faciendi, & operandi, & nomine operatio nis, tum quia hæc voces generales sunt, & declarantur per alias proprias, & específicas, tum quia inspiratio est propria operatio, & effectio Dei in nobis. Vnde per illam facit Deus, ut velimus, ut in superioribus declaratum est. Vltimò expendimus illa verba Canonis 25. *Hoc etiam secundum catholicam fidem credimus, quod accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint.*

7.
Cotollarij

14.
Epilogus
capitis.

voluerint, adimplere. Hæc enim verba vera esse non possunt, nisi auxilium illud quod necessarium est ad consentiendum gratiæ, eaque bene vtendum ad seruanda mandata, sit in hominis potestate, quod esse non potest, si sit physicè prædeterminans. Item illa conditio, si fideliter laborare noluerit, aperte ostendit hominem posse impedire, vel non impedire efficaciam auxilium, quod tamen de prædeterminante dici non potest, & ideo ab eodem Concilio per inspirationem declaratur, dum ait, Ipse nullis præcedentibus bonis meritis, fidem, & amorem sui prius inspirat, vt & Baptismi sacramentum fideliter requiramus, & post Baptismum cum ipsius adiutorio, ea quæ sibi sunt placita, implere possimus.

CAPVT XLIII.

Quid alia Concilia, vel Pontifices summi de gratiæ efficaci senserint.

1. **P**ost superiora Concilia vsque ad nostra tempora in cæteris Prouincialibus Conciliis nihil ferè de Gratia traditum est. Nam licet anno Domini 855. Concilium Valentinum Galliæ tempore Benedicti tertij celebratum controuersiam de gratia tetigerit, solum approbat, & sequitur quod in prioribus Conciliis definitum fuerat. Quatenus autem in cap. 2. definit, malos ideo perire, quia boni esse non possunt, & cap. 3. damnat cum Concilio Arausicano dicentes, aliquos esse prædestinatos ad malum, potest eius auctoritas contra prædeterminationem physicam induci. Sed de hoc satis & generaliter dictum cap. 1. expendendo rationes de auxilio sufficienti, & lib. 3. excludendo prædeterminationem ad malum.

2. **Pro nostra ergo sententia solum expendimus doctrinam Concilij Senonensis, de cuius auctoritate in Prolegom. 6. dixi. Illud ergo Concilium in decretis fidei, cap. 15. multa docet quæ ad presentem causam multum referunt, & ideo accuratè expendenda sunt. Nam quædam sunt verba quæ nostram sententiam aperte docere, alia verò quibus physicam prædeterminationem omnino refellere videtur. Priora verba huiusmodi sunt. Neque liberum arbitrium asserentes diuinam excludimus propterea gratiam, quod illi, (id est, Nouatores) falso toties imponere non verentur, atque hoc fumo credulorum oculos perfringere, sed iuxta Scripturam sacram eo extendimus, vt voluntas humana misericordia præuenientis auxilij suffulta, & interiori quodam, & occulto secretioris inspirationis afflatu contracta sese conuertant in Deum, Deo appropinquet, & ad veram illam gratiam sese preparat, qua tandem accepta sit ad vitam eternam. In quibus verbis in primis aduertimus, non loqui Concilium solum de gratia, qua voluntas humana se potest conuertere, sed de gratia, qua se conuertit, & ad sanctificantem gratiam præparat, ait enim hoc extendi libertatem humanæ voluntatis, vt afflatu diuinæ inspirationis contracta sese conuertat in Deum, &c. non ergo tantum vt possit, sed etiam vt sese conuertat. Per inspirationis autem afflatum, seu contactum, certè non intelligit prædeterminationem, sed quod Scriptura illis verbis solet significare, & quod Concilium Tridentinum dixit, Ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem. Ista ergo inspiratio ex parte præuenientis gratiæ sufficit iuxta Senonense Concilium, vt voluntatis libertas ad conuersionem in Deum extendatur, & consequenter, vt talis inspiratio effectum suum consequatur, ac subinde sit efficax. Neque illud Concilium agnouit alium præuenientem motionem distinctam ab inspiratione, quæ inter contractum eius, & conuersionem necessaria sit.**

In sequentibus autem verbis talem prædeterminationem excludere videtur. Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præiudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset, cui si quis aperuerit ianuam, intrabit ad illum, & cenabit cum illo. Nec denique tale sit huiusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit. In quibus verbis multa sunt, quæ sententiam nostram plurimum confirmant. Vltima verò planè videtur contradictoria assertioni, physicæ prædeterminationis. Nam qui illum astruunt, consequenter fatentur, non magis posse voluntatem humanam resistere auxilio prædeterminanti, quàm voluntati diuinæ absoluerè, & efficaciter volenti, quia hec voluntas in illo auxilio virtute continetur ita affirmat Bannez. 1. p. 1. q. 14. art. 13. §. Secundo est notandum. Davila cap. 10. & 27. Alvarez. in cap. 10. l. 1. a. & de Auxiliis disput. 93. Verba autem Concilij Senonensis contradictoria omnino sunt, vt ex terminis constat.

Huic testimonio ex his verbis variè dantur euasiones, quas expendere necesse est. Præma est Concilium Senonense loqui de auxilio efficaci oblato à Deo, non autem de auxilio efficaci recepto in ipso arbitrio, ita P. Alvarez dicta p. 93. ad 1. in finem. 4. & dicit explicationem colligi ex ipso contextu. Nam loca, (inquit,) Scriptura adducta à Concilio gloriunt ipsum loqui de auxilio efficaci oblato, cui resistere licet. Hæc verò responsio refutatur primò, quia inuoluit contradictionem in eadem doctrina: nam si auxilium efficax est physicè prædeterminans, relinquitur, vel omnino negatur ex parte Dei, cui aliquid non datur, & ideo nunquam ita datur, vt resisti possit, vel potius vt possit obex poni ex parte hominis infusioni eius, vt in superioribus latè probauimus, non solum ex principiis ipsius doctrinæ, sed etiam testimoniis auctorum eius, & in particulari eiusdem Alvarez, qui constanter negat posse dari ex parte hominis dispositionem liberam ad hoc auxilium, tam negatiuam, quam positiuam. Ex quo euidenter sequitur non posse hominem ponere obicem huic auxilio, cum ex libera eius dispositione non pendeat, ergo etiam repugnat, hoc auxilium offerri, cui non datur.

Vnde quod ad hos attinet, libenter admittemus interpretationem Concilij, si vera esset. Quia si auxilium efficax tale est, vt verè possit offerri ex parte Dei, & impediri ex parte hominis, euidenter sequitur non esse auxilium prædeterminans. Ergo quicumque ratione dicat Concilium Senonense posse hominem resistere auxilio efficaci, siue ne introducatur in hominem, siue ne introductum opereatur, omnè infertur non esse prædeterminans. Addimus verò interpretationem esse contra Concilij contextum; nam prius ait quod voluntas humana misericordia præuenientis auxilio suffulta, & interiori inspiratiui afflatu contracta liberè sese conuertit. Hoc autem non facit voluntas per auxilium oblatum, sed per auxilium datum, nec dici potest suffulta, & contracta, donec in se aliquid recipiat, & tamen de illa sic afflata præbentis Dei auxilium, vt resisti possit, ergo loquitur de auxilio non tantum oblato, sed recepto. Probatur sententia, tum ex contextu, & consequentiis sermonis, tum quia alias probatio esset æquiuoca, & inutilis. Nec testimonia Scripturæ, quæ Concilio adducuntur de resistentia, quæ sit gratiæ oblata, sed de illa quæ facta est Iudæis auxiliis sibi collatis De illis autem illis loquebatur Christus cum dicebat Matthe. 23. Quoties volui congregare filios tuos, &c. & noluitis, præparat autem, Ierusalem, Ierusalem qua occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt. Per quos nimirum Deus vocauerat eam, & non solum obtulerat, sed etiam contulerat auxilia, quibus conuerteretur, si vel.